rentia artificialium cuiuſque ſinus & ſui dimidij, eſt eadem cum differentia artificialium ſinus totius, & ſui dimidij 5000000. At eadem eſt differentia artificialium ſinus totius, & ſinus 5000000, cum ipſo artificiali ſinus 5000000 (per 34) cuius 5000000, artificialis (per præmiſſam) erit 6931469.22. Ergo & idem numerus 6931469.22 erit differentia omnium artificialium, quorum ſinus ſunt in proportione dupla: & per conſequens duplum eius, ſcilicet 13862938.44, erit differentia omnium artificialium, quorum ſinus ſunt in ratione quadrupla: & triplum eius, videlicet 20794407.66, erit differentia omnium artificialium, quorum ſinus ſunt in ratione octupla.

52. *Omnes ſinus in proportione decupla, habent* 23025842.34 *pro differentia ſuorum artificialium.*

Nam per penultimè præmiſſam, ſinus 8000000 habet artificialem ſuum 2231434.68: & per præmiſſam, differentia inter artificiales ſinuum 8000000, & ſuæ octauæ partis 1000000, eſt 20794407.66: Vnde per additionem fiunt 23025842.34, pro artificiali ſinus 10000000: & quum ad hunc ſinus totus ſit decuplus, omnes ſinus in ratione decupla, eandem illam differentiam 23025842.34, inter ſuos artificiales habebunt, eâdem cauſâ & ratione, quam iam in dupla proportione per præcedentem expoſuimus, quod probandum erat. Et per conſequens, centuplæ proportioni reſpondebit huius artificialis duplum, quod eſt 46051684.68, pro differentia artificialium: Et eiuſdem triplum, quod eſt 69077527.02, erit differentia omnium artificialium, quorum ſinus ſunt in ratione millecupla. Et ſic de ratione 10000^2, & aliis, vt infrà.

53. *Vnde omnes ſinus in ratione compoſita ex duplo & decuplo, habent artificiales ſuos differentiâ* 6931469.22, *& differentiâ* 23025842.34 *reſpectiuè differentes.*

Vt in tabella ſubſequenti conſpicere licet.

Sinuum

Sinuum proportiones datæ.	Artificialium reſpondentes differentiæ.	Sinuum proportiones datæ.	Artificialium reſpondentes differentiæ.
Dupla	6931469.22	8000^{pla}	89871934.68
Quadrupla	13862938.44	10000^{pla}	92103369.36
Octupla	20794407.66	20000^{pla}	99034838.58
Decupla	23025842.34	40000^{pla}	105966307.80
20^{cupla}	29957311.56	80000^{pla}	112897777.02
40^{cupla}	36888780.78	100000^{pla}	115129211.70
80^{cupla}	43820250.00	200000^{pla}	122060680.92
Centupla	46051684.68	400000^{pla}	128992150.14
200^{pla}	52983153.90	800000^{pla}	135923659.36
400^{pla}	59914623.12	1000000^{pla}	138155054.04
800^{pla}	66846092.34	2000000^{pla}	145086523.26
Millecupla	69077527.02	4000000^{pla}	152017992.48
2000^{pla}	76008996.24	8000000^{pla}	158949461.70
4000^{pla}	82940465.46	10000000^{pla}	161180896.38

54. *Omnium ſinuum vltra limites radicalis Tabulæ excluſorum, numeros artificiales inueſtigare.*

Hoc faciliè fit, ſinum datum multiplicando per 2, 4, 8, 10, 20, 40, 80, 100, 200: vel per alium quemuis proportionis numerum hac tabella expreſſum, donec producatur numerus, qui intra limites radicalis tabulæ contineatur. Huius iam ſub Tabula comprehenſi artificialem (per 50) quære, cui acquiſito adde tandem differentiam artificialem, quam Tabella indicat priori conueniſſe multiplicationi.

EXEMPLVM.

QVæritur, quem artificialem ſinus 378064 habeat; is cùm vltra limites Tabulæ radicalis excludatur, per numerum aliquem proportionum præcedentis tabellæ, vtpote per